

runt cum illo, soli quidem non fuerunt, sed cum aliis; Lucanis nempe, Campanis, Volscantibus, Picentibus, Hirpinis, Samnitibus, aliisque.

Pœna vero, qua a Romanis omnes isti populi multati sunt, verborum tantum fuit castigatio. Hujus dumtaxat pœnæ meminit Livius dec. 3. lib. 7. verbis hisce: *Iisdem ferme diebus, & ad Q. Fulvium Consullem Hirpini, & Lucani, & Volscantes, traditis præsidis Hannibalis, quæ in urbibus habebant, dediderunt sese; clementerque a Consule cum verborum tantum castigatione ob errorem præteritum accepti. Et Brutius similis spes veniæ facta est, cum ab iis Vibius, & Pæctius, fratres, longe nobilissimi gentis ejus, eandem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditiois petentes venissent.* Hæc eadem verba Barrius lib. 1. pag. 43. refert; & Martyre quoque in M. S. Apage ergo Gellii commentum, omniumque illorum fallax oscitantia, qui ipsum cæco modo sequentes, fabulam componere ausi sunt, asferentes, Brutios Christi Liçtores fuisse.

Cum Bojis autem, aliisque finitimis iisdem populis aliter actum est; Livio nanque teste, Barrius, & Marafioti scribunt, in eisdem acriter Romanos animadvertisse. *Quare Boji ipsi, pulso Italia Hannibale, a L. Valerio Conf. fusi sunt, ac graviter a Romanis multati fuere; nam Lorarii, ac Liçtoris, Carnificisque, officii attributi sunt. Unde etiamnum ab omnibus Italis vulgari vocabulo Carnifices Boji nuncupantur, & Bojo vincula & torques damnatorum.*

Cæterum si Hannibalis erga Brutios, & Bojos, amorem, aut odium, inspiciamus; primos quidem inveniemus a Pœnis percussos, hos vero bene habitos, atque etiam promissis alleçtos, & præmiis aliquando honestatos. Ejusdem Livii verba, quæ apud Barrium

R

sunt,